



Tractatus De Schismate

Longueval, Jacques

Lovanii, [1718]

§. V. Reflexiones in præcipuorum Schismatum narratam historiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64915)

icitis sibi junxit, alios minis terruit. Hinc factum ut Episcopatu silente, sola (quæ Parliamentum dicitur) Laicorum Curia loqueretur.

Sed quàm abominandi effectus secuti sunt Schisma? Sicâ & securi sævitum in Catholicos; bona Ecclesiarum & Monasteriorum direpta; spiritualis Episcoporum auctoritas conculcata; nec multo post in sacrilegam compensationem amissæ jurisdictionis & fortunarum, Episcopis Monachisque execrabili libertas data nuptiarum. Henricus novâ semper & insatiabili abreptus libidine, uxores tres aut quatuor quas duxerat repudiavit, quarum duæ adulterii fuerunt convictæ. Hæc fuit præclara ista, quæ prætexebatur, morum & disciplinæ reformatio.

§. V.

Reflexiones in præcipuorum Schismatum narratam historiam.

UT Ecclesia Catholica ab inanibus Schismaticorum prætextibus vindicetur, tantum opus est attentè expendere Schismatum historiam. Origo omnium Schismatum semper fuit latens quædam sub larva modestiæ, pietatis, rigoris, impotens animi passio. Non est hæc propria vocatio, veritas, & unitas Apostolorum.

2. In omni Schismate longiùs paulatim progressum est, quàm sub ipsis divisionis initiis credebatur. Primi Schismatum auctores terminum, ad quem cæca multitudo sequentium ducebatur, cautè plerumque & diligenter

ter occultabant, aut etiam aliquando ignorabant ipsi. Præceps unum & insolens factum audaciâ frontem obdurat, incitatque animum, ut quod jam commissum est facinus, ne revocare oporteat, novo superaddito sustentetur: donec rem eò deducat animosa pertinacia, ut jam pedem referre sit pudor; qui est ultimus ad perniciem gradus.

3. Omnia Schismata formata sunt pedentim, & sine sensu populi, qui præcedentibus primùm Magistratibus omnium postremus à fide desciscere solet. Duces verò Schismatum variis propositis tricis quas explanari desiderant, tamdiu cum Apostolica Sede luctantur, donec per captatas studio moras adeo rebellium accessione invalescant, ut Pontificis auctoritatem tutò jam audeant apertèque contemnere. Schismatis futuri indicia patebant oculis omnium, & vox prima reclamantium surdis auribus fuit excepta.

4. Iisdem tricis, fallaciis, artibus, quibus Schismata olim nata sunt, utuntur hodie in Gallia qui Pontifici Ecclesiam docenti parère recusant. An non ergo ex paribus causis pares expectandi timendique sunt effectus? Timorem auget multorum silentium & fallax securitas. Schisma non nascitur, nisi quando non timetur.